Vita Iustiniani.

ctibúsque decem: muri Constantinopoleos, multáque templa & domus tunc conciderunt: qua ex re mœstus imperator coronam imperialem abiecit, & absq; ea ad Natalitia & Theophania processit, & decem & nouem dierum cletoria. i. publicos accubitus & conuiuia cessare fecit, eorum expensis, egenis distributis.

Ex Cedreno & Diacono.

Anno XXXII. Trullus magnæ ecclesiæ (qui continuis superiorum annorum terræmotibus conciderat) iterum à Iustiniano reparatus est, & exaltatus plusquàm viginti pedibus in superioribus supra ædificium quod antea fuerat, & iterum ab Eutychio est dedicatus. Sacram quoque mensam eius ecclesiæ tum ex omni materiæ, quam terra fert, genere conflauit, liquatísque iis quæ conflationem recipiunt, puta auro, argento, lapillis &c. ligna pretiosa, & alia sicca immisit, mira & varia operis facie: & in orbem hanc adiecit inscriptionem: Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προφέρομεν οἱ πάντοι σε χρίσὲ Ἰουστινιανὸς καὶ †Θεόδωρα. ἃ εὐμενῶς προσδέξαι υἱὲ καὶ λόγε τοῦ θεοῦ ὁ σαρκωθεὶς καὶ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ σου πίστει διατήρησον καὶ τὴν πολιτείαν τῶν ἡμῖν ἐπίστευσας εἰς τὴν ἰδίαν σου δόξαν αὔξησον, καὶ φύλαξον, πρεσβείαις τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Inchoata igitur hæc fuerunt adhuc superstite Theodora, quæ hoc anno nõ erat inter viuos.

Eodem anno Hunni, qui & Sclauini dicuntur, atque etiam nouissimè Turci appellari cœperunt (teste Diacono) Thracias infestantes, Belisario primùm misso, ac postea Iustino Curopalata, Iustiniani in imperio successore, redire ad suos sunt coacti.

Ex Cedreno.

Anno XXXIIII. mense Decembri, magnum fuit in vrbe Constantinop. incendium à templo S. Sophiæ vsque ad Probi. Fuit & magna pestis & mortalitas in Cilicia, & Anazarbo & Antiochia magna, necnon & terræmotus, & congressi sunt inter se in ea vrbe orthodoxi cum Seuerianis, & multæ cædes perpetratæ: Fuerũt hi Seueriani seu Seueritæ, iidẽ postea & Aphtartodocitæ, in quorum partes inclinauisse principem supradictum est: missus tum à Iustiniano fuit eò Zimarchus comes Orientis, qui ἀτάκτους inordinatos & rebelles, proscriberet, deportaret, membris debilitaret.

Anno XXXV. nocte intempesta magnum exortum est incendiũ iu vrbe Regia.

Anno XXXVII. incendio cõflagrauit venerabilis domus Sampsonum, & quæ ante Rufi, & Mesaulon magnæ Ecclesiæ Garsonostasium dictum: & duo asceteria proxima templo S. Irenes cum eius Narthecis parte.

Anno XXXVII. moritur Belizarius Patritius Byzantij.

MORS IVSTINIANI.

Anno tandem imperij sui XXXVIII. renouato iam Dogmate de corruptibili & incorruptibili Christi corpore, per edictũ vbique locorum (à pietate alienum propositum, Deo præoccupante, defunctus est, & sepultus ex more imperatorũ in magnifico monumento quod ipse lapide Sardio in templo sanctorum Apostolorum construxerat, ad dextram ingredienti partem. Id templum à Theodora Augusta fuisse instauratum diximus. Aiunt morituru Iustinianum testamento mandasse reuocationem ab exilio, & restitutionem in integrum sancti Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani, quem idcirco exulatum miserat, quòd eius cacoethes hæreseos amplecti nollet, sicut olim Constantinus restitutionem sancti Athanasij testamẽto mandauerat. Imperauit Iustinianus annis XXXVIII. mensibus septem, diebus XIIII. succedente ei Iustino Curopalate.

Nicephor. lib. 17. c. 33.

Composuit Iustinianus in Christi honorem elegantissimum hymnum, qui hodiéque à Græcis, & in sacra synaxi & missa, & mesorio quoque horæ sextæ palam in ecclesia canitur, extátque in eorum Horologio, & Liturgico libro. Græcè & Latinè his verbis:

TROPARIVM.

Ο μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι, ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου ΜΑΡΙΑΣ, ἀτρέπτως ἐνανθρώπησας, σταυρωθείς τε χρὶστὲ ὁ θεὸς θανάτῳ θάνατον πατήσας, εἷς ὢν τῆς ἁγίας τριάδος, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.

Ex Horologio Græcorum.

LATINE SIC LEGITVR IN SACRA

Græcorum missa olim per Leonem Tuscum edita.

Vnigenitus filius & Verbum Dei cùm sis immortalis, dignatus es propter nostram salutem carnem sumere de sancta Dei genitrice semper Virgine Maria inconuertibiliter factus homo, qui crucem subisti Christe Deus, morte conculcans mortem, vnus existens sanctæ Trinitatis conglorificatus patri & spiritui sancto, saluos nos fac.

Explicita est Imperatoris Iustiniani Legislatoris nostri vita.

FELICITER.

Θεῷ δόξα.

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación